


# Liber primus.


& in polygonijs diagonalis, quasi linea ab angulo ad angulū perducta. Chorda est linea circulum in duo inæqualia diuidens. Semidiameter est linea semicirculum in æqua diuidens. Costa est latus quadrati.

Chorda.  
Costa.



Basis Hebraicè  $\text{בַּסִּיס}$  est linea figuræ planæ quæ tota iacet in fundamento siue plano. Linea uerò huic æqualiter supraposita, dicitur Corauscus. Linea in figura plana perpendiculariter eleuata dicitur Cathetus. Linea autem nõ perpendiculariter eleuata, hypotenusæ siue linea obliqua appellatur. Est autem linea perpendicularis quæ alteri supraposita rectos & æquales constituit angulos, quam Græci orthogonalem uocant. Lineæ ubiq; æqualiter distantes, parallelæ nominantur. Linea contingentia dicitur, quæ circulum tangit in puncto.

Basis.  
Cathetus.  
Perpendicularis.  
Parallela.



Linea uisualis est ferè hypotenusæ ipsa, quæ ab oculo in rem altam aut longè ab oculo in plano constitutã emittitur, quam & quidam radium uisualem appellant, præsertim si per nudam lineam feratur ad conum aliquem & rem exiguam, quæ per duo pinnularū foramina apprehendere possumus, id quod dico propter pyramidalem figurã alicuius rei, cuius conus est in oculo uidente, basis autem in re ipsa in quam figitur uisus. Vocabulo lineæ uisualis utimur in eclipsibus solaribus calculandis atque in rebus altis metiendis. Nam cum oculus noster sit extra centrum mundi in superficie terræ, uidet coniunctionẽ luminarium aliquando ante & interdum post ueram coniunctionem, differuntq; tunc linea uisualis coniunctionis à linea ueræ coniunctionis, id quod necdum propter oculi & centri mundi distantiam euenit, uerum & propter longissimum

Visualis.